

ILLUSTRISSE, AC REVERENDISSE-  
ME DOMINE OBSERVANDISSE.

Episcopo Dertusensi, uno ex Deputatis in negotio Patriarche Aquilejensis, Mediolanum hinc discessuro, ut invisitat Ducem de Sessa, Oratores Veneti curarunt, ut ante ipsius discessum Deputati supradicti referrent, ac dicerent sententias suas. Quare, ut dictis Oratoribus gratum faceremus, coacti sumus intermittere Congregationem generalem postmeridianam, & huic privata incumbere, que protrahata est ab hora decima octava ad vigesimam quartam. Huic adfuerunt omnes Deputati, quorum nomina iam Illustrissima, & Reverendissime Dominationi Vestre scripta sunt, cum adjuncta Illustrissimorum Lorbaringi, & Madrucci, excepto Oratore Polono, qui absens ob infirmam valetudinem interesse non potuit. Dixerunt omnes, & singuli per ordinem, juxta loca sua, sententias. Unanimi voto censuerunt omnes, in illa Epistola Patriarche non esse verbum ullum hereticum, & quod in Sancto Augustino, in Sancto Prospero, in Sancto Bernardo, in Sancto Thoma, & in aliis Sanctis Doctoribus non invenitur. Quare judicaverunt omnes absolvendum a calumnia ipsi imposta: asserentes illum nudum proprium, verum etiam sue Nationis Theologorum, quibuscumque negotium prius diligentissime contulerant, sensum esse. Granatensis duntaxat, & Segovienensis, tantisper cum aliquo moderamine, visi sunt opinari, dicentes se hactenus modo suo non plene discussisse negotium, sed secundum quod eo usque perspexerant, judicabant Patriarcham absolvendum; reservantes sibi liberam facultatem, alias dicendi securus sententias suas, & volentes prius videre vota hic Roma transmissa, que ad hunc finem ipsi fuerant exhibita. Aliqui etiam dixerunt Auctorem hujus Epistole in scholasticis minus exercitatum sese exhibuisse, sed in apologia rem totam ita luculenter elucidasse, ut nullus superesset scriptulus. Ubi omnes dixerunt sententiam, rogavimus, ut dignaretur eorum quilibet votum suum scripto compendiose tradere, ut his attentius discussis, ferre sententiam, & judicium possemus: omnes libenter se id prestituros polliciti sunt. Nunc vestra Illustrissima Dominatio videt, quo causa Patriarche sit in statu; poterique Sanctissimi Domini nostra referre: cumque presens ad aliud non sit, osculamur manus, & humillimos commendamus. Tridenti 14. Augusti 1563.

Vestre Illustrissime, & Reverendissime Dominationis humillimi Servi.

Cardinalis MORONUS.

LUDOVICUS Cardinalis Simoneta.

STANISLAUS Cardinalis Varmiensis.

Cardinalis NAVAGERIUS.

Hoc idem Pio IV. Pontifici Maximo denunciavit Cardinalis Lotharingus, deputatorum Censuram Proto-prefes: utque Patriarcham Aquilejensem, unanimi suffragio purgatum, in gratiam reciperet, ac destinata purpura ornaret, vehementer est adhortatus, data Epistola 16. Augusti.

Demum die 18. Septembris, pronunciati iudicii instrumentum in publicas tabulas relatum est, in hac verba: Domini nostri Jesu Christi nomine invocato, solum Deum pre oculis habentes, & de aliorum in Theologia peritorum consilio, & assensu, judicamus, attestamus, & pronunciamus, predictas Litteras predicti Reverendissimi Domini Joannis Grimani, Patriarche Aquilejensis, cum Apologia junctas, non esse hereticas, seu de heresi suspectas, neque sic declaratas, esse scandalosas: non tamen divulgandas, propter nonnulla difficultia minus exacte in eis tractata, & explicata. Ita dicimus, declaramus, pronunciamus, sententiamus omni meliori modo.

Ex ea totius facti narratione, ex Ughellio in Italia sacra, Andrea Mauroceno in Historia Veneta, Tyberio Deciano in Responso 9., Pallavicino in Historia Concilii Tridentini, summatis excerpta, Launojum puridissimorum mendaciorum reum habemus. Falsum quippe, Cives Utinenses Joannem Grimamum tanquam hereticum traduxisse, & ad Tridentinam Synodum provocasse: cum contra, adversus amulos Criminatores, eruditissimo piissimoque Præfati, omni pietatis, & humanitatis officio jungerentur. Falsum, Provinciam Fori-Julii, ex Grimani scriptis offensivam aliquam passam esse; cum potius illum doctrinæ integram, errorisque purum haberet. Falsum tandem, Judices a Tridentina Synodo delegatos, doctrinam Grimani scripto contentam, minime prædicandam censuisse, qui doctrinam ipsam, ab omni erroris suspitione liberam, communi calculo pronunciantur; solamque scriptio-nem, propter nonnulla difficultia minus exacte tractata, & explicata, minime vulgandam existimant. Aliud quippe est doctrinæ summa, aliud scribendi formula; aliud rei caput, aliud accessio.

Imo ex hac una rerum Tridenti gestarum narratione, tota quanta quanta est, calumnia revincitur Launojana Traditio; atque eo potissimum capite, quo Augustini doctrinam Prædestinationum erroribus plane geminam, Wicleffii blasphemias indivulsam, Lutheri, & Calvinii heresibus propitiam, atque finitimam dicere non erubuit. Ex quo enim Joannem Grimamum, in materia prædestinationis, & gratiæ, hereses insinuatam, eo maxime nomine absolvendum censuere Sacrosanctæ Synodi Patres, quod ne verbum quidem unum protulisset, quod in Augustino, ejusque discipulis, Prospero, Bernardo, Thoma Aquinate, ceterisque non haberetur; (sic enim Legati per epistolam Sanctum Carolum monuere) eodem iudicio significarunt, Augustini hoc de argumento doctrinam, ab omni hereses suspitione liberam esse; eandemque instar lydi lapidis in Ecclesia fervari, cujus attracta, sententia omni labe puras probare solet.

#### CAPUT XVIII.

Augustini doctrina non modo nihil, ex Baji, Janfenique damnatione, detrimenti cepit, verum etiam multo majorem in Ecclesia auctoritatem obtinuit.

Scubi unquam, hac maxime pseudo-Traditionis parte, Scriptoris ingenium demirari licet; qui cum tam multas a viris eruditissimis Commentationes editas norit, quibus Augustinus a damnationis in Bajo, & Janfenio propositionibus alienissimus demonstratur, eos tamen erroes eadem audacissime tribuit, nulla data probatione, nulloque producto momento: (Pag. 123. & seq.) quasi ea in Republica Litteraria valeret auctoritate, ut verbo temere, inaniterque jactato, fidem integram faceret. Unde tibi, Launoj, tantum auctoritatis, & gratiæ? Nobis longe aliter persuasum: ac donec producta a viris eruditissimis momenta retuderis, oppositaque, si potis es, in medium attuleris, quibus calumnias illas tuas assimulate saltem veritatis specie cononesces: nobis haud ita vilis est jactura temporis, ut in eadem retexenda tela perituram operam impendamus.

His ergo missis sanctissimi Doctoris testimoniis, quibus hereticum famosarum propositionum fecum, ab Augustiniano toto celo distare, tam multi hactenus demonstrarunt; quod erit hujus in-

stituti maxime proprium, huic infistam uni; brevique rerum subinde gestarum narratione, planum faciam, Augustini doctrinam non modo nihil, ex Baji, Janfenique damnatione, detrimenti cepisse, verum etiam multo majorem exinde in Ecclesia auctoritatem obtinuisse.

Gregorio XIII. a quo primum Pii V. in Bajanis assertiones Diploma Pontificium, ex sacris Vaticanis tabulis erutum, publici juris factum est, de Augustini fama pie sollicitus, obsecrum Sancti Doctoris obtreclatorem aeterno silentio damnavit. Testes mihi Theologi Lovanienfes parte 2. Defensionis, non longe a fine: Recte, inquit, prudentique nuper a Gregorio XIII. factum; quod uti a viro quodam fide digno accepimus, Cælestinum imitatus, Scriptori cuidam, cujus nomini parcendum putamus, invocandus adversus Augustinum agenti, pluraque hujus generis pollicenti, silentium indixerit, atque a scribendo in posterum abstinere jussit.

Clemens VIII. ortas ætate sua de divinis auxiliis controversias sedaturus, instituit ad examen congressibus primariam legem edixit, ut cuncta ad Sancti Augustini mentem exigerentur, qui honor nemini Patrum contigisse legitur. Quamvis, inquit ille in Prolusione Congregationum, nemini nisi Deo rationem reddere debeam mearam actionum; dicam tamen in presentiarum rationes, propter quas adstringere statui totam hanc disputationem ad normam doctrinæ Sancti Augustini de gratia. Prima est, quod sit, teste Beato Prospero, fere in initio Libri contra Collatorum, viginti annorum spatio, Ecclesie Catholice acies ita dimicavit pro gratia, contra Pelagianos, ut tandem Augustino duce vicerit; oportet etiam, ut in causa consimili eundem duce agnoscamus, & sequamur. Secunda est, quod idem Sanctus nihil videtur præterisse eorum, que ad presentes controversias pertinent. Quandoquidem si agitur de necessitate gratiæ, eam describit dicens, esse necesse, ut nos preveniat, committitur, & sequatur. Si de vi, asserit vires efficacissimas præbere voluntati. Si de effectu, testatur facere ex nolente volentem. Si de modo, asserit Deum id facere omnipotentissima facilitate. Denique sic dissolvit objectiones, ut doceat liberum arbitrium, non tantum bene cum illa gratia, quam defendit, coherere; sed etiam fieri liberius, quando ab illa fuerit liberatum. Tertia tandem ratio est, quod cum multi Pontifices, & prædecessores nostri doctrinæ Sancti Augustini tam acres fuerint assertores, ac vindices, ut quasi hereditario jure eam in Ecclesia relinqui voluerint; æquum non est, ut patiar illam ea hereditate privari. An ita porro dirimenda de divinis Auxiliis controversiæ normam dedisset Ecclesie Pontifex illum ipsum, quem ante annos triginta in Bajo damnatum existimasset, Prædestinationis, Lutheranis, Calvinianis erroribus tinctum; imo quem, vel levi violati arbitrii suspitione laborantem credidisset? Id si dicat Launojus, sanandus helleboro potius, quam rationibus refellendus est.

Innocentius X., a quo primum quinque Janfenii propositiones inusta sunt, haud semel pendente causa professus est, Augustini doctrinam de gratia se ipsa efficaci in vado esse, atque in nullo damnationis discrimen adduci, sed fartam, testamque manere. Idemque lato demum iudicio, quorundam Gallorum Episcoporum delegatis Theologis significavit, dum se illis in alioquium dedit. Quod ut est Urbi, & Orbi notissimum, Launojum haud arbitror latuisse. Vulgata enim jam dudum est Domini de Valency pro Rege Christianissimo, apud Innocentium X. Oratoris Epistola, ad Comitem de Brienne sanctioris Concilii Commentarientem, data Romæ die 6. Junii 1653.

Serry Tom. V.

locupletissimam Oraculi Pontificii fidem faciens; cujus fragmentum ex Gallico idiomate Latinis verbis reddo: Die Jovis ultima, summo Pontifici dixi, Doctores, qui vulgo Sancti Augustini defensores dicuntur, pergratum habuerunt, si proxime discessuri ad pedum oscula admisterentur, & Apostolica benedictione donarentur. Respondit Sanctitas sua, se illos die sequenti, quibuscumque tandem negotis distringeretur, ad audientiam accepturus. Nec vero promissa defuit. Honorificentissimis verbis Doctores istos prosecuta est: dixitque se intactam penitus reliquisse Divi Augustini, ac Divi Thome doctrinam, de gratia se ipsa efficaci; illudque dogma, ac totam ea de re controversiam, eodem loco stare velle, quo fuerant a Clemente VIII., & Paulo V. constituta. Verum quinque Propositiones damnari, ut erroneas, ac temerarias oportuisse; cum, vel ipsi etiam fatentibus, triplicem sensum paterentur, Calvinianum unum, Pelagianum alterum, tertium demum Catholicum; sensumque idcirco aliquem hereticum, præ se ferrent. Nulla siquidem propositio, cui venenum subesse potest, fidelibus tradi debet: uti nec in pascua ducuntur oves, quibus salubres promissæ, ac veneno infectæ herbe libere crescant, ne forte toxico pereant, qua bonum a malo scenerne plerumque nesciunt &c. Quamquam quid juvat Pontificia voluntatis testes proferre, quam ipsemet Orbi catholico, solemni Decreto testatam reliquit, die 23. Aprilis anno 1654. quo verbis conceptissimis profiteretur, super questione de divinis Auxiliis, observanda esse Decreta Pauli V. & Urbani VIII. suorum Prædecessorum: eodemque idcirco loco esse, quo, solutis celeberrimis Congressibus, ea de re habitis, ab Apostolica Sede relicta sunt.

Alexander VII. cujus est altera, in quinque famosas propositiones, Apostolica Constitutio, Augustini doctrinam, non modo districtis censuris securam dixit, verum etiam inconcussam, tutissimamque pronuntiavit; & catholicos Professores, ut eidem hærent firmiter, vehementer est adhortatus; ejus ope adversus quascumque hæreses feliciter certaturos. Cum enim Janfeniana hæresis ab æmulis insinulati Theologi Lovanienfes, fidem suam Apostolicæ Sedi solemniter testaturi, datis Epistolis significassent, se in materia prædestinationis, & gratiæ, Divi Augustini, ac Divi Thome doctrinam profiteri, hoc ab laudato Pontifice Responsum accepere die 7. Augusti 1660. Non dubitamus, quin vos pro singulari scientiæ, pietatisque studio, sanam, & incorruptam, qualem tot Apostolicæ Sedis declarationes, & sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplectamini, & adversus orthodoxæ Religionis hostes defensuri sitis; necnon præclarissimorum Ecclesie Catholice Doctorem, Augustini, & Thome Aquinatis inconcussa tutissimamque dogmata sequi semper, ut asseritis, & impense revereri velitis: Quorum profecto sanctissimorum virorum, penes Catholicos universus, ingentia, & omnem laudem supergressa nomina, novi præconii commendatione non egent. Quo nullum illustrius præfati Pontifices sancto Doctori elogium cecinere: ut proflus auctam, Janfenianarum rixarum occasione, Augustinianæ doctrinæ famam, exultationemque videamus.

Alexandro VII. succinit Clemens X. Brevi Apostolico die 18. Decembris 1671. quo universis Christi fidelibus, festa Sancti Augustini die, templa Augustiniensis Ordinis aduentibus, ibique pie supplicantibus, plenam indulgentiam imperavit. Decefforis verba æmulatus, aliaque de suo adiciens hanc Doctori sanctissimo lauream circum-pouit: Eximia, omnisque humanæ laudis præconium longe supergressa Sancti Augustini Episcopi, & Confessoris, Ecclesie Doctoris præcellentissimi, qui spiritum

M m m



forum, secundum Dei propositum, disputasti. Et paulo infra: Et cum contra eos scripta Beatitudinis tuae validissimis, & innumeris testimoniis divinarum Scripturarum instructa proferimus, ac secundum formam disputationum tuarum, aliquid etiam ipsi, quo concludantur, adstruimus; oblationem suam reticent defendunt: & ea, quae de Epistola Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem divinae gratiae praevientis electorum merita proferuntur, a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiantur, affirmant. Ac tandem multis interjectis: Illud etiam qualiter diluatur, quaesumus, patienter insipientiam nostram ferendo, demones, quod retractatis priorum hac de re opinionibus, pene omnium par invenitur, & una sententia, quae propositum, & praedestinationem Dei secundum praescientiam receperunt.

Hac illos Augustinum objectione pulsasse, nil mirum; cum ea aetate temporum degerent, qua communem Ecclesiae sensum perficere non vacabat: verum ad praesens excusationem obiectio ista non habet, ex quo catholici orbis mentem internocere licuit. Cum enim, ut ex dictis competunt arbitror, Apostolica Sedes, sacra Concilia, utriusque Ecclesiae, cum Latinae, tum Graecae Patres, Augustini doctrinam, ex quo primum vulgata est, ad hanc usque diem exceperint, coluerint, propagarint; eam certe priorum saeculorum Traditioni consentaneam fateri necesse est, non dum licet excussis veterum monumentis; ne universam cum Augustino errasse Ecclesiam, & a Majorum Traditione exorbitasse concedamus. Si enim contrariam antiquis Patribus Augustini doctrinam putavit Ecclesia, cur eam probavit, fecitque suam? Si contrariam non censuit, imo consentaneam prorsus agnovit; qua fronte, quare audacia, ab Launo contra praedicatur?

Ad haec, Pontifices, Concilia, Patres, quorum hactenus sententias recitavimus, eo maxime titulo geminis illis Augustinianae doctrinae capitibus, ab terrore Censore in invidiam traductis calculum advecere, quod illa antiquitatis jure potiora, & veterum institutionibus consentanea esse existimarent. Coelestinus I. data ad Gallos Epistola, desinat, inquit, *incessere novitas vetustatem*; (apud Labb. Tom. 3. pag. 470.) nempe Massiliensium placita, in quibus delicias facit Launus, novitatis insinuat; Augustini vero decreta, quae moroso Censori dividuae sunt, antiquitatis titulo cohonestat. Bonifacius II. in Rescripto ad Caesarium Arelatensem: *Cum hac de re multi Patres, & praeter ceteris beate recordationis Augustinus Episcopus, sed & Majores nostri Apostolicae sedis Antecessores, ita ratione probentur discessisse latissima &c.* . . . *Confessionem vestram consentaneam catholicis Patrum regulis approbamus*. (apud Labb. Tom. 5. pag. 831.) Viden ut Augustinum praefici Ecclesiae Patribus, ac summis Ecclesiae Hierarchis doctrinae focium adjungit? Concilium Arausicanum II. Canones suos, ex ejus Libris syllabam expressos, definitionem antiquorum Patrum non semel appellat. (apud Labb. Tom. 5. pag. 814.) Africanae Ecclesiae Praefules, ob catholicae fidei professionem, ab impio Rege in exilium acti, Fausti Rejenis Episcopi Libros, quos Augustinum refellendum sibi fumerat, praecedentium Patrum consona prorsus attestazione consultatos significant, Epistola Synodica Scythis Monachis destinata. (apud Labb. Tom. 5. pag. 740.) Hanc ipsam Hipponeis Episcopi doctrinam, in Synodo Valentina, adversus novos obtractatores, a sancto Cypriano Tolonenis Episcopo vindicatum prodit Hitoria, ex antiquissimis Patrum Institutionibus. (apud Labb. Tom. 5. pag. 819.) Quae ergo nunc audacia, quae temeritas est, novitatis

notam objicere, & a primis Ecclesiae Patribus dissonantiam?

Certe si ab antiquis Ecclesiae Patribus abcessit Augustinus, maxime a Graecis; qui ut mollis de gratiae efficacia, deque gratuita praedestinatione locuti videntur, ita saepius ab Augustini amulis objiciuntur. At eam Majoribus suis dissonantiam ne ipsi quidem Graeci deprehenderunt: quippe qui ab Augustini partibus, jam inde ab initio, ac deinceps, steterunt firmiter, non modo in Pelagianos, verum etiam in Massilienses, quos Launus patrociniū impendit. Non hanc utique deprehenderant Scythae Monachi, qui Maxentio duce, Faustio, ejusque gregalibus, tota virium contentione restiterunt. Non deprehenderant secundae Constantinopolitanae Synodi Patres, qui ea omnia se suscipere declararunt, quae Augustinus de recta fide, & condemnatione hereticorum exposuit. (apud Labb. Tom. 6. pag. 42.) Non deprehenderat Photius, qui Romanae Ecclesiae licet inferus, nobile tamen Coelestini Rescriptum, quo Augustinus miris laudibus fertur, exscribit, ac probat; Prosperumque doctrinae illius, adversus Massiliensium obtractationes, strenuum defensorem, (Cod. 54.) *Virum plane divinum* appellat, eidemque triumphatum Semipelagianismum gratulatur. Non deprehenderant, uno verbo dicam, totius Orientis Episcopi, qui unanimi cum Occidentis Praefulis confessione, Augustini de gratuita praedestinatione sententiam receperunt: de quibus Divus Fulgentius Libro 2. de Veritate praedestinationis, & gratiae capite 18. scribit: *Hec itaque Catholicorum Patrum Apostolicis institutionibus tradita permanet in Ecclesia, sine aliqua dubitatione, doctrina, quam Graeci, Latineque Pontifices, & sancti Spiritus infusione firmati, uno, atque indissolubili semper tenere consensu. Nemo enim in animum inducat, Graecos homines, Ecclesiae suae dignitatis, atque honoris retinentissimos, in Augustini sententiam facile concessuros, si eam a Majorum suorum placitis exorbitantem judicassent.*

At vide criminatorum ingenium. Massilienses, qui primi eo inductae novitatis probro sanctissimum Praefulem onerarunt, ut ad veteres provocarent, ne ipsi quidem veteribus standum opinabantur; illorumque decreta, non secus ac Augustini, fastidiebant. A Prospero liquidem, & Hilario appellati, de profertenda, quam sequi mallent, veterum opinione, cuncta pari supercilio despiciabant; nihilque a se tandem inventum, quod palato saperet, respondebant. Ita Magistrum per Epistolas monuit doctissimus Aquitanus, qui totam illam scenam oculis bibit: *Ea, quae de Epistola Apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem divinae gratiae praevientis electorum merita, proferuntur, a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiantur, affirmant. Cumque, ut ipsi ea exponant, secundum quorum verum sensu, deposimus, nihil se proferuntur invenisse quod placeat, & de his tacere exigunt, quorum altitudinem nullus attingit. Nulla ergo incondite accusationis habenda ratio, quam qui primo conflasserant, tam misere sustinebant.*

Sed, & qui Augustini genium noverint, quam scilicet aversum ab omni novandi pruriginis animo gereret, quanta in praeficos Ecclesiae Patres religione teneretur, quam arte veterum decretis, in sacris Literis exponendis, standum ediceret; satis opinor intelligant, ne veri quidem specie obductam esse futilitatem illam, & inconditam, de violata veterum Traditione, criminationem. Pelagianis id vitio dicit solitus erat sanctissimus Doctor, quod a Majorum doctrina defecerent: *Lib. 2. Operis imperfecti contra Julianum cap. 37. Si in Concilio, cujus videris desiderare iudicium, sederent*

Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Basilus, Joannes Constantinopolitanus, ut alios taceam; nunquid doctiores, prudentiores, veraciores iudices quaerere audeas? Ipsi contra dogmata vestra clamant, ipsi scriptis suis scripta vestra condemnant. Lib. 2. alterius Operis cap. 8. Irane in corde vestro dicere audeatis, quod cum vos audiant, accendantur homines ad virtutem, cum autem istos audiant, tantos, ac tales viros, Cyprianum, Hilarium, Gregorium, Ambrosium, ceterosque Sacerdotes Domini, desperatione franguntur, ac renunciant studiis perfectionis? Haec ne monstrata cogitationem ascendunt in cor vestrum, & non elidunt faciem vestram? Et capite 10. Propter quam catholicam veritatem, sancti, ac beati, & in divinatorum eloquiorum petrificatione clarissimi Sacerdotes, Ireneus, Cyprianus, Reticus, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Joannes, Basilus, in quibus addo Presbyterum, velis nolis, Hieronymum, ut omittam eos, qui nondum dormierunt, adversus vos proferunt, de omnium hominum peccato originali obnoxia successione, sententiam; unde nemo erit, nisi quem, sine lege peccati repugnantem legi mentis, Virgo concepit. Qui itaque fieri potuit, ut quod alitis vitio vertebat, id volens ipse lubentique admitteret, novis de divinae gratiae efficacia, gratuitaque praedestinatione procul opinacionibus, veterum Patrum traditione neglecta, & conculcata? Alterum Pelagianis criminis dabat Hipponeis Antistes, nempe, quod rectam Scripturarum intelligentiam, non ad Patrum calculos exigent, sed ex privato sensu metirentur. Libro de Gratia Christi cap. 42. Quia eas Scripturas Sanctas secundum sum sensum legunt, profecto in illis, nec aperte continentur. Utinam ergo saltem in catholicorum virorum scriptis, a quibus eas recte intellectas esse non dubitant, quid sit de adjutorio divinae gratiae sentiendum, non negligenter attendere, nec suae sententiae amore nimio praeterire. Quis ergo id eum sibi fuisse putet, ut in eudendo praedestinationis, & gratiae systemate, sacras Literas ad arbitrium exponeret, flecteretque in sensus antiquis Ecclesiae Patribus inauditos?

Aliud certe Augustini in animo erat, qui Patribus non universis tantum, aut numero pluribus, sed singulis etiam assurgendum, subscribendumque putabat; unum interdum Ambrosium, aut Chryostomum, ut ineluctabilem obicem Pelagianis opponens. Quod sane nec tam saepe, nec tam fidenter attentasset, si, & ipse in conjunctissimis gravissimisque quaestionibus, sprete veterum Traditione, novellas opinunculas, ignotasque sacrorum Librorum explanationes obrulisset. Imo ea religione veterum dictatis haerebat, suorumque praceptorum sententias stabat, ut hoc illi exprobrarent Pelagianis, quorum convicia non modo aequo ferebat animo, verum etiam lucro vertebat. Libro 1. Operis imperfecti contra Julianum Pelagianum capite 86. Nobis inesse conviciaris impietatem veterem, quoniam dogmata antiqua Catholica, quae docuerunt, qui Ecclesiam Christi ante nos, in ejus gratia vera pietate reixerunt, contra perveritatem vestram novitiam, quantum locumque labore defendimus. In te igitur agnosce stultitiam, in te impudentiam, in te impietatem, non veterem sane, sed novam. Et Libro 6. capite 21. Magnam te mihi putas invidiam comparare, cum dicas, nihil me a meo praepatore differre: at ego in laudem meam tua sumo convicia. . . Gaudio prosumus, in hoc, quae inter nos vertitur, quaestione, me nihil a meo praepatore differre. . . Praeceptores etiam meos negare non debeo, qui me ad hoc intelligendum suo literario labore juverunt. Meus praepator est Cyprianus. . . Meus est praepator Ambrosius, cujus non solum libros legi, sed verba etiam loquentis audiri, & per eum lavacrum regenerationis accipi. Longe sum qui-

dem impar meritis ejus: sed confiteor, & profiteor, me in hac causa nihil ab hoc meo praepatore differre. . . Ego itaque adversus te, & meam desido, & illorum fidem, quos palam times habere inimicos, & invidus pateris iudices. Haud itaque verosimile est, sanctissimum Praefulem, hujus suae professionis immemorem, novam in Pelagianis exagitandis viam calcaesse, impervios praepatoribus calles aperuisse, ignotaque Majoribus Paulinarum Epistolarum interpretatione commentum esse, ut singulares ingenii partus effunderet.

Et quidem ut primum hanc sibi a Massiliensibus structam calumniam, ex binis Discipulorum suorum Epistolis, intellexit; nulla interposita mora, omnem a se inductae novitatis invidiam amovit. Doctrinae antiquitatem ternis praefertim argumentis asseruit. Primum, ex mira cum Apollito confessione, cujus oracula ferme sexcenta, ex variis ejusdem Epistolis, atque ex illa praefertim, quae ad Romanos scripta est, defloravit, Libris de dono perseverantiae, deque praedestinatione Sanctorum. Hac porro Apollito suffragatione haud temere gloriatum Augustinum, pronunciat Hormisdas Romanus Pontifex, data ad Possessorem Epistola: *De arbitrio tamen libero, inquit, & gratia Dei, quod Romana (hoc est catholica) sequatur, & assereret Ecclesia, licet in variis libris Beati Augustini, & maxime ad Hilarium, & Prosperum, possit cognosci, tamen in Ecclesiasticis scriptis expressa Capitula continentur, quae si tibi desunt, & necessaria credis, destinabimus, quamquam qui diligenter Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat, evidenter cognoscit. Eo brevi verbo satis innuens, Augustinianae hoc de argumento doctrinae fumum, Paulinis Epistolis contineri.*

Secundo, ex suis omni retro aetate Ecclesiae precibus, de quibus haec habet capite 23. *Libri de dono perseverantiae: Utinam tardi corde, & infirmi, qui non possunt, vel nondum possunt Scripturas, vel earum expositiones intelligere, si audierint, vel non audierint in hac quaestione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit, & habebit Ecclesia ab exordii suis, donec finiatur hoc saeculum. De hac enim re, quam nunc adversus novos hereticos, non commemorare tantum, sed plane tueri, & defensare compellimur, nunquam tacuit in precibus suis, etsi aliquando in sermonibus exorandam nullo urgente adversario non putavit. Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus, atque inimicis ejus, ut crederent? Quando fidelis quisquam amicum, proximum, conjugem habuit infidelem, & non ei petivit a Domino mentem obedientem in Christianam fidem? Quis autem sibi unquam non oravit, ut in Domino permaneret? Aut quis Sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit: Da illis Domine, in te perseverare usque in finem, non solum voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere; ac non potius super ejus talem benedictionem, & corde credente, & ore consistente respondit, amen: cum aliud in ipsa oratione dominica non oraret fideles, dicentes maxime illud, ne nos inferas in tentationem; nisi ut in sancta obedientia perseverent? Sicut ergo in his orationibus, ita, & in hac fide nata est, & crevit, & crevit Ecclesia, qua fide creditur, gratiam Dei non secundum merita accipientium dari. Quandoquidem non oraret Ecclesia, ut daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet, & averfas, & adversas hominum ad se convertere voluntates: nec oraret Ecclesia, ut perseveraret in fide Christi, non decepta, vel victa tentationibus mundi, nisi crederet, Dominum sic in potestate habere cor nostrum, ut bonum, quod nos*

senemus nisi propria voluntate, non tamen tenemus, nisi ipse in nobis operetur, & velle . . . Ille itaque dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis hujus, & gratiæ, quæ nunc contra novos hereticos, cura diligentiori defenditur: ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audeat aliquando eam non orasse, vel non recitaverit orasse, sive ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles. Quæ bona si semper oravit, semper ea Dei dona esse usque credidit; nec ab illo esse præcognita unquam ei negare fas fuit. Ac per hoc prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hereticos, nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit.

Hujus argumenti vim, quam, productis Ecclesiæ Latinæ documentis, a Launoio rebus defendimus capite septimo, exploratam perinde habuit Ecclesia Græca; quæ profligatos dudum Semipelagianos errores, ex hac Divi Basilii præcognitione demonstravit, quam in altaris sacrificio universus pene Oriens frequentabat: *Dona Domine virtutem, ac tutamentum; malas, quesumus, bonos facito; bonos in bonitate conservas: omnia enim potes, & non est, qui contradicat tibi: cum enim volueris, salvas, & nullus resistit voluntati tue.* Quæ recentia supplicatione, ita colligit Petrus Diaconus, Orientalium Legatorum unus, Libro de Incarnatione, & gratia Christi capite 8. *Eccæ quam breviter, quamque succincte Doctor egregius olim huic controversiæ (a Massiliensibus motæ, & a Launojo denuo excitatæ) finem posuit, docens per hanc precem, non a se ipsis, sed a Deo malos homines bonos fieri; non sua virtute, sed divine gratiæ adiutorio in ipsa bonitate perseverare.*

Tertio, doctrinæ antiquitatem veterum testimoniis confirmavit, quos in ea tradenda præceptores, atque magistros habuisse gloriatur, capite 19. laudati *Libri de dono perseverantiae: Hoc scio, inquit, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas Sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse. Puto tamen eis, qui de hac re sententias Tractatorum requirunt, sanctos, & in fide, atque doctrina christiana laudabiliter usquequaque diffamatos viros, Cyprianum, & Ambrosium, quorum tam clara testimonia posuimus, debere sufficere.* Tum recitatis eorum testimoniis, quæ nos subjectis capitibus ex ordine temporum representabimus, ita subjungit: *sed his duobus, qui sufficere debuerunt, sanctum Gregorium addamus, & tertium; nimirum Nazianzenum, cujus perinde fragmentum oculis subjicit, ex Oratione in Pentecosten 44.*

Bina tandem responsa subjungit sanctissimus Præsul, quæ repugnantes in speciem Ecclesiæ Patres facile conciliantur: ii nempe, qui aut vocationem non immoto Dei decreto, sed præscientiæ duntaxat innixam posuisse ferebantur; aut mollius aequo, minusque limatè, ante subortam hæresim Pelagianam de divina gratia pronunciantur: *Prædestinasse, inquit capite 18., & 19. Libri laudati, est hoc præcisse, quod fuerat ipse facturus. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei Tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? Magis enim fortasse voluerunt hoc verbo in ea re uti, quod, & facilius intelligitur, & non repugnat, imo & congruit veritati, quæ de prædestinatione gratiæ prædicatur.* Hoc primum, cujus veritatem probabimus capite ultimo. Et Libro de prædestinatione Sanctorum capite 14. *Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur Opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non haberent necessitatem, in hac difficili ad solvendum questione versari? quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum*

est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam Scripturam suorum locis, & transeunter attingerent; immorarentur vero in eis, quæ adversus inimicos Ecclesiæ disputabant, & in exhortationibus ad quasque virtutes, quibus Deo vivo, & vero, pro adipiscenda vita æterna, & vera felicitate servitur. Frequentationibus autem orationum simpliciter apparebat Dei gratia quid valeret: non enim poscerentur de Deo, quæ præcipit fieri, nisi ab illo donarentur, ut fierent. Hoc alterum Augustini ad objecta responsum.

Verum quia Patres ab Augustino perperam, temereque laudatos contendit novissimus Criminator, contrariamque superioris avi Traditionem, tumultuaria veterum Scripturam recentione, fabricatur, quæ libet, luberque verba illis affingens, nullumque distincte locum appellans: opera pretium erit, in has veterum Patrum sententias inquirere; quo sua Doctore maximo stet fides integra; spuriaque Traditio ab Launojo confarcinata, plena levitatis, atque invidiæ demonstratur. Hoc unum in antecessum admonere, si Launojo libuisset de originali peccati dogmate litem intendere; illudque, & præcis Ecclesiæ Patribus ignoratum, & primum ab Augustino in Ecclesiam inducendum fabulari; perinde illi videri potuisse, laudata ab Sancto Doctore, ad illud contabulandum; veterum testimonia minus explicata esse; eidemque multa alia illorum oracula repagnare. Haud enim clariori luce resplendet, eorum in scriptis, originalis peccati confessio, quam gratuita prædestinationis, & efficaciæ gratiæ prædicatio. Procul igitur hinc audax illa tricanandi libido, quæ de rebus omnium conperitissimis contentiosis funem ducere gessit. Huic si liber datur aditus, universa Patrum Theologia labefactabitur, & protervæ ingeniorum licentiæ committetur.

## CAPUT XX.

*Augustiniane doctrine capita a Launojo erroris insimulata, priorum sæculorum Traditione consentanea probantur. Primi atque secundi sæculi Patres expenduntur.*

Superiorum Augustino sæculorum Traditionem ornaturum, non id est animo constitutum, ut superioris avi Patres, pari omnino verborum vi, accuratissime ex æquo, & exquisitè dicendi rationibus, divine vocationis liberalitatem, gratiæque potestatem docuisse ostendam; quales postmodum Augustinus, qui quæ illi in confutandis Pelagianis, ac Massiliensibus aderant, usurparunt. Ecquis enim id expectat a me, cum ne quidem in primis fidei capitibus, quæ ista Christiana Religio, limatas perinde, & castigatas priorum Ecclesiæ Patrum sententias habeamus, quales subinde, emergentium hæresum occasione, cautiore posteritæ tradiderunt? Hoc igitur unum in animo est palam facere, præcis Ecclesiæ Patres hæc ipsa gratuita vocationis, gratiæque suapte vi efficaciæ principia possuisse, eandemque iis in capitibus doctrinæ summam, ac formam ex facris Litteris delibasse, tradidisse, propagasse, quam exortis postmodum Pelagianis, eorumque reliquiis, distinctius, accuratius, luculentius exposuit Augustinus.

Accedit alterum observatione dignissimum: tribus prioribus Ecclesiæ sæculis, perpaucos libris conscribendis operam dedisse; ac neque ea ipsa, quæ tum edidere Christiani, tamen pauca, ad nos pervenisse: sed partem illorum maximam intercidisse, vel injuria temporum, vel hominum in abolendis, quæ ad palatum non sapiebant au-

da-

dacium, fraude, atque nequitia; quod ex tam multis illorum monumentis perfectum est, quorum nuda nomina, aut leviter interdum apud Eusebium, & Hieronymum fragmenta supersunt. Insuper quæ e tribus prioribus sæculis ad nos usque scripta pervenerunt, ad hodiernis de gratia, & prædestinatione quæstionibus, pleraque remotissima sunt. Illorum etenim Christianum Traditores, pro avi sui ratione, vel Christianam Religionem criminantibus, quibus, per calumniam gravabatur, suis lucubrationibus purgant; vel insulsa, & impia ethnicorum sacra exagitant, vel obduratam Judæorum pervicaciam coargunt, vel portentosa hæreticorum illius ætatis deliria confutant, vel fideles ad patientiam, & Christi fidem fortiter profitendam hortantur, vel quosdam ex occasione Scripturæ locos interpretantur: adeoque de gratia, & prædestinatione, non nisi obiter, atque aliud agendo, differuisse perhibent. Maxime cum nulli ea ætate temporum hæretici fuerint, qui gratiæ necessitati, ac potestati bellum intulerint; non pauci vero, Simoniani, Marcionitæ, Manichæi liberum arbitrium extinctum irent: quæ res præcos Ecclesiæ Magistros, quæ tuendæ fidei cura erat, ad libertatis commendationem compulsi potius, quam ad celebrandam divinæ gratiæ potestatem. Quæ omnia non ea mente, eoque consilio notantur a me, quo sunt a Dalæo, ceterisque Traditionis oppugnantibus observata; ut nihil ex trium priorum sæculorum Patribus exculpi posse significem, quo illorum hoc de argumento sententia dignoscatur: sed ut intelligat spuria Traditionis confaricator, aut certe illius Editor, nec tam multa, nec tam difformata illorum expectari oportere testimonia, quæ omnem prorsus emergentium hodie quæstionum difficultatem, amoveant; nisi cum reliquis posteriorum, a nata Pelagianæ hæresi, temporum documentis, maxime Romanorum Pontificum, Conciliorumque definitionibus conferantur.

Porro dum præcos illos doctrinæ Magistros, gratuite prædestinationi, gratiæque suapte naturæ victrici adimplulatos contendo, Launojo, cum quo mihi res est, profertim in oculis habeo. Idcirco gratuitam prædestinationem in primis intelligo, qualem is intellexit, & ab antiquis Patribus negatam obtendit: electorum scilicet vocationem ad gratiam simul, & gloriam, ex uno Dei proposito derivatam, nullis in antecessum humanæ voluntatis meritis, conatibus, dispositionibus exploratis; ac ne ipsius quidem boni gratiæ usus, & naturæ peni profecturi, habita ratione. Cum enim Semipelagianæ sectæ systema vindicandum sibi sumat, ipsamque etiam Augustinum, qui fidem prævis conatibus dari, ante adeptum Episcopatum existimaverat, ab antiqua demum (Pag. 72. 73.) Traditione aberrasse dicat, dum ea exuta opinione, fidem quoque ex Dei dono esse subinde profectus est; liquet plane, Launojo, vocationem etiam ad primam gratiam, seu fidem, minime gratuitam posuisse; eamque Semipelagianæ sectæ sententiam præcis Ecclesiæ Patribus tribuisse: quod hic erit peculiari studio resellendum. Quamquam, & hoc alterum haud levibus momentis indidem offensus sumus, ipsam quoque destinationem ad gloriam, gratiæ conferendæ consilium antevertere; ut idcirco Deus electis sit merita collaturus, quia illos destinavit ad gloriam; non contra destinet illos ad gloriam, quod sit illis merita collaturus. Gratiam pariter se ipsa victricem intelligo, qualem Launojo intelligendam existimavit; vim scilicet suam omnem, ex Dei in hominum voluntates imperio repetentem; veris illis, legitimisque consecrariis, & appendiciis stipatam, de

quibus capite 2. sermo fuit, quæque ille erroris in Augustino audacter insinularit. Quæ omnia superiorum sæculorum Patribus, non secus, ac Augustino, explorata probataque fuisse, sequenti recensione demonstramus; quæ veram, atque germanam priorum sæculorum Traditionem, Launojanæ, hoc est, spuria, & commentitiæ directio oppositam damus; omnesque loquendi formulas, quæ divinæ vocationis, & gratiæ liberalitatem, efficaciam, potestatem expressit sanctissimus Doctor, a præcis Ecclesiæ Magistris delibatas ostendimus.

A Patribus exordium ducere convenit, Divi Pauli, cæterorumque novi Instrumenti Scripturam sententiis prætermittis: quippe, qui eas capite 2. ad singulas ferme propositiones Augustinianas, ab Launojo inique traductas, ex facris Litteris confirmandas, aut etiam exponendas, representavimus.

Et primo, quidem Clementem Romanum producimus, Petri, post Linum, & Cletum, in Sede Apostolica successorem, Pauli discipulum, & Evangelicæ prædicationis socium, de quo ipse ad Philippenses capite 4. v. 3. *Eriam rogo, & te Germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & ceteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vite.* Is enim gratiæ doctrinam, Romanis ab Apostolo maxime commendatam (ut inde se prædicatione ejus, vel a capite toto Orbe diffunderet uti loquitur Augustinus) (Epist. 186.) proplavit Ep. 1. data ad Corinthios Ecclesiam; cujus authenticam evincunt Irenei, Origenis, Clementis Alexandrini, Eusebii, Epiphani, Hieronymi disertissima testimonia: *Labor omnis, inquit ille, & consensio vestra diu, nostraque pro universa fraternitate erat, ut numerus electorum ejus cum commiseratione, & conscientia salvaretur.* En jam certum electorum numerum præfixit, ad vitam ex Dei misericordia obtinendam, peculiari quadam ratione destinatum. Pergit autem: *Volens igitur omnes dilectos suos penitentia participes fieri, omnipotente sua voluntate stabilivit: quare magnificæ ejus, & gloriöse voluntati obsequamur, & suppliciter misericordiam, & benignitatem ejus implorantes, relicto vanis operibus, contentione, & amulatione, quæ ad mortem ducit, ad miserationes ejus advolvamur, & convertamur.* En gratiam penitentia, stabilitatem suam, ac firmitatem, ex omnipotenti Dei voluntate repetentem; veramque conversionem, ex divine misericordiæ, atque benignitatis fonte promanantem. Subjungit vero, multis interjectis: *Casus, & puras manus elevantes, & benignum, & misericordem patrem nostrum diligentes, in sanctitate cordis accedamus ad ipsum, qui nos sibi ipsi electionis sortem fecit.* En plane electionem sortitione, benignitate, misericordia factam: ut quemadmodum quæ sorte nobis obveniunt, nulla meritorum ratione habita, nobis dicuntur obtingere; ita felicitatem æternam, nondum exploratis meritis, nobis a Deo destinari intelligamus. Tum demum ad gratiæ merita omnia, conatus, & opera prævenientis, commendationem converso sermone, gratuitam justificationem ex gratuita vocatione derivat: *Omnes igitur, inquit, glorificati, & magnificati sunt, non per se ipsos, aut eorum opera, aut justas actiones, quas patriarum, sed per voluntatem ejus. Sic, & nos ex voluntate ejus in Christo Jesu vocati, non per nos ipsos justificamur, neque per sapientiam nostram, intelligentiam, pietatem, vel opera, quæ in puritate cordis, & sanctorum operati sumus; sed per fidem, per quam omnipotens Deus omnes ab initio justificavit. . . . Consideremus igitur, fratres, ex qua materia facti sumus, qui, &*

qua-

quales mundum tanquam ex sepulchro, & tenebris ingressi sumus: qui nos fecit, & condidit preparatis prius beneficiis suis; (apud Labb. Tom. 1. pag. 127. 127. 142. 143., & 147.) Annon, quales, iis principis tota nititur Augustini doctrina? Annon iis fundamentis incumbit tota de gratia proveniente, atque victrice, deque gratuita vocatione, superstructa moles?

Id ne Launojum, quidem negaturum existimafsem; quippe qui iis ipsis Clementis assertionibus, ab Augustino postmodum usurpatis, nigrum theatra præfixit sæpe numero, quasi errorem patentissimum præ se ferret. At contra res habet: Clementem obicit Augustino; eumque, una cum pseudo Dionysio Areopagita, primi Ecclesiæ saculi testem conducit, qui contrariæ Augustino Traditioni suffragentur. Hunc ex illo centonem ambiciosius ostentat, nullo, pro more, loco indigitato, ac ne verbis quidem distincte notatis, sed summatis duntaxat excerptis, ut nostram in evolvendis veterum monumentis diligentiam exerceret: *Ab initio duo regna statuit Deus, & potestatem dedit unicuique hominum, ut illius regni fiat portio, cui se ad obediendum ipse subiecit.* . . . Et paulo ante: *Hæc via est vitam volentibus ingredi, & summum iter bonorum operum, pergentibus ad civitatem salutis. Si quis sane audiens sermonem veri Prophetæ, velit recipere aut nolit, & amplecti onus ejus, id est, mandata vite, habet in sua potestate; liberi enim sumus.* Quid ea lacinia sibi velit spuria Traditionis consarcinator, haud satis capio. (Vide supra Cap. 15.) Aut enim id unum extendere vult, stare penes unumquemque liberum arbitrium, ut salutem, opitulante gratia, adipisci queat; a quo tantum abest, ut abhorreat Augustinus, ut potius dedita opera propagaret. Aut hoc alterum erueri sibi putat, ad implenda mandata, viamque salutis incedendam; liberum arbitrium satis esse: quod ne Pelagiani quidem, ultima saltem erroris sui periodo, delirarent. Tamen nil juvat in reconditiore objectæ lacinie sensum inquirere; quæ ex apocryphorum fomis, ex tertia nimirum pseudepigrapha ad Joannem Christi Domini fratrem Epistola, excerpta est; quam nemo non obæse omnino naris, primo oculorum conjectu, spuriam esse non videt.

Sed neque feliciori cynosura istud Ecclesiasticæ Traditionis mare enavigandum ingreditur, dum suum illum Dionysium Areopagitam Clementi Romano, cæterisque Patribus in Augustinum, ut ipse quidem autumat, pronunciantibus, antelinguam præmittit; quod Deum, omni delecto posthabito, suam in omnes homines benignitatem exercere dixerit; eo plane modo, quo suam Sol in omnes lucem diffundit, omni semoto discrimine. In caput 4. Libri de divinis nominibus intendit Launojum, haud dubium est, cujus sunt hæc ipsa verba, juxta Joachimi Perionii versionem. Lucis nomine ipsum bonum celebratur, quasi in imagine primum exemplar expressum. *Ut enim divinitatis omnia superantis bonitas, a summis, dignissimisque naturis ad ultimas pertinet, atque etiam omnibus præstat, ita ut, nec superiores ad ejus præstantiam perveniant, nec inferiores complexum transcant, sed, & omnia, que possunt, illustrat, & efficit, & vivificat, & continet, & perficit, estque eorum, que sunt, & mensura, & æternitas, & numerus, & ordo, & complexus, & causa, & finis: sic etiam, qui clara expressaque divinitatis bonitatis imago est magnus hic Sol, totus lucens, ac semper splendidus, pro minima ipsius boni similitudine, omnibus etiam, qui ejus lucem capere possunt, collucet, habetque lumen per omnia diffusum,*

in omnem hunc mundum, quem cernimus, radiorum suorum splendorem explicans, & sursum, & deorsum: ac si quis eisd, quod eo non participet, id ejus luminis diffusi tenuitati, aut parvitati non est tribuendum; sed iis, que, quia apta non sunt ad capiendum lumen, ad illud capiendum explicantur. Verum qui, quales, isthæc in Augustinum regeantur, qui eadem prorsus habet, cum alibi sæpe, tum maxime Tractatu I. in Joannem? Non ideo cogitent, inquit, quasi absentem esse lucem, quia eam videre non possunt: ipsi enim propter peccata tenebre sunt. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ergo, Fratres, quomodo homo positus in sole cæcus, præsens est illi sol, sed ipse soli absens est: sic omnis stultus, omnis iniquus, omnis impius cæcus est corde. Præsens est sapientia, sed cum cæco præsens est, oculis ejus absens est: non quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est. Quem ergo sensum præ se ferant familiares illæ Augustino, cæterisque Patribus assertiones, quoque pacto vindictis hæcenus dogmatibus nihil obiciant, postremo capite planum fiet. Interea notare hic satis fuerit, Librum de divinis nominibus, cæterisque de Cælesti, & Ecclesiastica Hierarchia, deque mystica Theologia, Dionysii Areopagite nomen præferentes, recentioris Augustino Græculi factum esse; quem in texenda priorum secularum Traditione laudare, eo minus Launojo fas erat, quod is Libros illos pseudepigraphos, & magno Areopagite falso suppositos, proluxa commentatione demonstraverit. Neque tamen, si ita Launojo decretum est, ab illius scriptoris judicio refellimus, sed statim maxime, qui Augustinianæ doctrinæ summam, Platonicæ scholæ, ut illi moris est, loquendi formulis expressit, hoc ipso laudato Libro de divinis nominibus capite 5. Exemplaria autem esse dicimus, inquit, in Deo existentium rationes substantias, & singulariter præexistentes, quas Theologia prædefinitones vocat, & divinas, & bonas voluntates existentium prædeterminatas, & effectivas, secundum quas substantialis essentia omnia prædefinit, atque producit. Quo loco non nudas divinæ mentis ideas intelligit Platonicus Scriptor in mera coæmulatione positas, queis nimirum rerum mere possibilium informationes animo inferantur; sed præcitas, ut schola loquitur, quibus rerum futurarum, & existentium formæ mente significantur, divinum propositum, decretamque efficacæ præferentes, quo solo res prædeterminantur, prædefiniuntur, & fiunt. Et capite 11. Cum Angelis divina secundum virtutem operabimur, secundum providentiam Jesu, omnia in nobis cooperantis, sed & facientis pacem ineffabilem, & ex seculo prædefinitam, & reconciliantis nos sibi ipsi in spiritu, & per ipsum, & in ipso, Patri. Sed redeamus in viam, & Traditionis seriem resumamus.

Clementi Romano in confitenda Christi gratia, succedit S. Ignatius in Epistola ad Smyrnaeos, non illa quidem interpolata, ut alias circumferrebat; sed genuina prorsus, & integra, quam cum sex alius Ufferius Armacanus ex codicibus Anglicanis, & Isaacus Vossius, ex Bibliothecæ Medicæ codice, publici juris fecerunt: Oratio vestra, inquit sanctissimus Martyr, pervenit ad Ecclesiam, que est in Antiochia Syriæ. Unde ligatus Deo decemvintis vinculis omnes saluto, non existens dignus esse extremis ipsis: secundum autem voluntatem Dei, dignus factus sum, non ex conscientia, sed ex gratia Dei: quam oro perfectam mihi dari, ut in oratione vestra Deo potiar. Videm ut indignum se reputet, qui fidelium numero censetur; sed eam se dignitatem adeptum fateatur, ex Dei gratia, & libera voluntate, non ex conscientia bonorum operum?

Iis robur addit Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, illud Psalmi 21. recolens, Deus meus es tu, ne discesseris a me; quod hac brevi commentatione illustrans ait: *Omni hominem debere spem suam in solo Deo ponere, & ab eo salutem, auxiliūque petere; non, ut solent ceteri, fiducia generis, aut opum, aut virium, aut sapientia sibi polliceri; quemadmodum, & vos semper fecistis. Nam si videmus, nec Filium Dei viridus suis, aut sapientia ferre acceptam salutem, cum sit innocentissimus, ac ne verbo quidem peccaverit; nec putare, se posse sine Deo saluum evadere: qui potest, ut nos, & alii quicumque sine hac spe salutem expectant, non se ipsos decipiant? Qui prævis liberatatis humane conatibus vocationem ad fidem adscribunt, iine spem suam omnem in Deo collocant; ac non verius salutem suam viribus suis, ac sapientia, ex parte saltem, acceptam ferunt?*

Et hic rursus ex adverso obstrepe commentariæ Traditionis fabricator, Justinum Martyrem suum inclamans, quod scripserit: *Non Deus, ut boni, vel mali sumus, sed arbitrium nostrum causa est. Et iterum: In nobis est, ut casti simus, aut fornicatores. Itaque coronamur, aut punimur de eo, quod in nobis est.* Nam ad que nos arbitrium perducit, propterea vel coronamur, vel punimur. Et nobis Deus vires dedit ad faciendum, verum eas potestati subiecit arbitrii. Tam diserta in speciem Justinus Martyris testimonia, in germanis, legitimisque, ut par erat, ejusdem lucubracionibus, quæstia diu, in spuris tandem, ac nothi invenimus; (Quest. 82. 86. 127.) in Quæstionibus, inquam, & Responsonibus ad Orthodoxos, quarum suppositio, vel mediocriter tinctis illico subolet: cum, & in iis Irenæus, & Origenes, Justinus ætate posteriores, præfate laudentur; & Manichæa hæresis, elapso fubinde sæculo excitata, dedita opera confutetur. Quis non hic animo pendat, dum spuria veterum monumenta, ab Launojo in Patrum lætione exercitatissimo, indefinenter obrudi videt? Nos nihil ista miramur, quibus satis perfectum est, spuriam Traditionem, qualem profecto texere instituit, ex spuris præsertim veterum monumentis erui debuisse.

Laudatorum Patrum sententiæ adstipulatur Irenæus, gratiaque triumphis applaudit multo luculentius, Libris adversus hæreses adornatis. Et certe capite 10. Libri primi, quorundam præ cæteris electionem ita in Dei beneplacitum refundit, ut ab hominum intelligentia, sensuque disjunctam fateatur; cur alii præ cæteris eligantur: *Quare desperatas gentes, inquit, coheredes, & incorporatas, & participes sanctorum fecit Deus. . . . Cur factus sit, qui non erat populus, populus; & non dilecta, dilecta. . . . In talibus, & similibus eis exclamavit Apostolus: O altitudo divitiarum, & sapientia, & agnitionis Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Annon hæc gratiæ prædeterminationis, & vocationis aperta testificatio? Idem Libro 3. capite 16. Pueros Innocentes sortitione quadam, hoc est, delectu Dei mere gratuito, Martyrii palmam, æternamque felicitatem adeptos scribit: *Propter, quod, inquit, & pueros eripiebat, qui erant in domo David, bene sortiti illo tempore nasci, ut eos præmitteret in regnum suum; ipse infans cum esset, insentes hominum Martyres parans, propter Christum.* Disertius vero capite 23. non modo gratuitam, & ex mera Dei voluntate profectam vocationem inculcat, verum etiam usurpatam toties ab Augustino rationem ingerit, ex omnipotentia Dei petitam, qua hominum voluntates, quas voluerit, ubi voluerit, quando voluerit, pro nutu*

stetit, adeo ut nulla humani cordis duritie, atque protertia superetur: *Omni disposito salutis, sanctissimii Martyris verba sunt, que circa hominem fuit, secundum placitum Patris fiedat, ut non vinceret Deus, neque infirmaretur ars ejus. Si enim, qui factus fuerat homo a Deo, ut viveret, hic amittens vitam, lesus a serpente, qui depraverat eum, jam non revertetur ad vitam, sed in totum projectus esset morti; victus esset Deus, & superasset serpentis nequitia voluntatem Dei. Sed quoniam Deus invictus, & magnanimus est, magnanimus quidem se exhibuit ad correctionem hominis, & probationem omnium, quemadmodum prædiximus: per secundum autem hominem alligavit sortem, & diripuit vasa ejus, & evacuavit marem, vivificans eum hominem, qui fuerat mortificatus. Quid plura? Traditum non semel ab Augustino, misericordiam inter, & judicium, discrimen ingens, quo tota de prædeterminatione, atque reprobatione doctrina nititur, paucis quidem, sed difertissimis verbis instituit capite 36. Libri 4. Est autem hic Pater Domini nostri, cujus providentia constant omnia. . . . & gratuito quidem donat in quo oportet; secundum autem meritum dignissime distribuit adversus ingratos, & non sentientes benignitatem ejus, justissimus retributor.*

Nihil ista moratus Launojo, latam ab Irenæo in Augustinum sententiam obtendit, nullum distincte locum appellans, sed spuria ejusdem verba congerens. Extant illa partim capite 37. Libri 4. partim capite 38. Priori loco sic legitur: *Via enim a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem, bonum dat omnibus. Posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum & in Angelis. . . . Qui autem non obediunt, justè non inveniantur cum bonis, & meritam penam percipient. . . . Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum & Apostolus testificatur in eadem Epistola, & qui operantur quidem illud, gloriam, & honorem percipient, quantum operati sunt bonum, cum possint non operari illud; hi autem, qui illud non operantur, judicium justum excipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud. Altero vero hæc habentur: *Scindum enim benignitatem suam bene dedit bonum, & similes sibi sue potestatis homines fecit: secundum autem providentiam servit hominum infirmitatem, & qua ventura essent ex ea; secundum autem dilectionem, & virtutem vincet facte nature substantiam.* Quo titulo isthæc in Augustinum detorqueat ineptissimus osor, minus capio, nisi, quod stricte toto Libello in Augustinum calumniam immotus hæreat, qua negatum ab eo liberum arbitrium comminiscitur, ac sublatam penitus eligendi, ac dissentendi facultatem effutit. In hanc enim Manichæorum hæresim unice disputat Irenæus, a qua procul abiit Hipponensis Antistes. Cætera ex eodem sanctissimo Martyre ab æterico Censore laudata de varia Jacob, & Esau sorte, secundum Dei præscientiam definita, in Augustinum detorqueri utcumque possent, modo facti veritate niterentur. At fidem in Censore desidero: hujusmodi quippe nihil Irenæus læstanti occurrit. Ut cumque tamen se res habeat, hujuscemodi loquendi formulæ præcis Ecclesiæ Patribus familiaris, a qua nec prorsus abhorruit Augustinus, rectam intelligentiam dabimus loco suo, & cum statutis hæcenus dogmatibus conciliabimus.*

## CAPUT XXI.

Tertii seculi Patres ad crism vocantur,  
& Augustiniano dogmati  
asseruntur.

NON unius, alteriusve Ecclesiastici superiorum temporum Traditoris, de gratia victricis, deque gratuita vocacione, sententiam, sed communem Ecclesie Catholicae sensum prodit vetus illa Paganorum de nostris expostulatio, apud Minutium Felicem in Octavio; qua nimirum fatalem necessitatem, sacro gratiae titulo coonestatam, a priscis olim Christianis propugnari solitam discitabant: quasi una prorsus, eademque Christianis, atque Gentilibus, de aeterna hominum sorte, insideret opinio, sola vocabulorum distinctione diversa. Culpam tamen, vel innocentiam (Criminatorum verba erant) fato tribui sententis plurimorum, & hac vestra consensio est. Nam quidquid agimus, ut alii fato, ita vos Deo dicitis. Sic sekte vestre non spontaneos cupere sed electos. Igitur iniquum iudicem fingitis, qui sortem in hominibus punit, non voluntatem. Cui enim venisset in mentem, culpam, vel innocentiam fatali necessitati, ex sententia Christianorum, adscribi; Deumque in decernenda hominum sorte iniquitatis accusari; si gratiam versatilem ex assensu pendulam possident, aeternamque felicitatem, ex bonorum operum provisione, destinatum existimassent? Certe eo probo non semel oeratum vidimus Augustinum: ac ne criminatores eminus accersamus, ea illum accusatione petit quavis pagella tetricus Censor. At quis unquam, vel per somnium, in Massilienses, illorumque suffragatores, crimen istud molitus est? Quidni ergo Augustini dogmaticis praescribere dicamus priscos illos Ecclesie Magistros; ac procul a Massiliensibus, illorumque gregalibus abiisse?

At ecce Minutium Felicem, veterum illam Paganorum de nostris expostulationem eluentem, in Semipelagianas partes transisse contendit Traditionis investigator. Hac ejus, tacito de more loco, verba ingerit: Cum possit Deus praescire materiam pro meritis, & qualitatibus singulorum, etiam facta determinat. Verum haec, aut Semipelagianis propitia, aut Augustino contraria non dicit, nisi qui Semipelagianorum simul, & Augustini hypothesei nesciat, Deum, & praescisse futura, & singulorum qualitates, ac merita praevidere, nusquam inficiatus est gratiae Doctor; nusquam Massilienses, quod id adstruerent, impugnavit. Totam de medio, quo isthaec praescirentur, quaesito vertebatur. In ipso divinae voluntatis decreto, futura merita, bonaeque qualitates operante, pervideri, contendebat gratiae Vindex, dissebantur Massilienses: qua de re, altum in Minutio Felice silentium est. Ad haec, de poenarum, suppliciorumque destinatione unice loquitur eruditus christianae contra Paganos causae Defensor, cujus suffragium Launojus ostentat: Nec de fato, inquit, quisquam, aut solatium capere, aut excusare. Eveniunt sic sortis fortunae, mens tamen libera est: & ideo actus hominis, non dignitas iudicatur. Quid enim aliud est fatum, quam quod de unoquoque nostrum Deus fatus est? Qui cum possit praescire materiam pro meritis, & qualitatibus singulorum, etiam facta determinat. Ita in nobis non genitura plectitur, sed ingenii natura puniatur. Porro reprobatorum damnationem, non nisi ex noticia malorum operum, a Deo sanciri liquet; quia iustus est; tamen bonorum electio, nondum exploratis pietatis operibus, intendatur, quia bonus est: juxta Synodi Valentinae III.,

ex tribus Galliarum Provinciis constatae, celebre pronuntiatum can. 3. Fidenter fatemur praedestinationem electorum ad vitam, & praedestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum, misericordiam Dei precedere meritum bonum: in damnatione autem peritorum, meritum malum precedere iustum Dei iudicium. (apud Labb. Tom. 9. pag. 1151.)

Prodeat jam ex Africa Tertullianus, Minutio aetate suppar, eruditionis gloria major: & quid nostri de geminis illis Augustiniana doctrinae capitibus, in ore ferrent, non ex aemulorum criminationibus prodar, sed ex certa sententia definat. Hic Libro de Patientia, statim ab initio: Bonorum quorundam, inquit, sicut, & malorum intolerabilis magnitudo est: ut ad capiendam, & praestanda ea, sola gratia divina inspirationis operetur. Nam quod maxime bonum, id maxime pene Deum, nec alius id, quam qui possidet, dispensat, ut cuique dignatur. Et Libro de Anima capite 21. Lapidis filii Abraham sciet, si in fidem servabuntur. Et gemina viperarum fructum poenitentiae facient, si venena malignitatis experirent. Haec erit vis divinae gratiae, potentior utique natura, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem: (quod autem dicitur) quae cum sit, & ipsa naturalis, atque mutabilis, quoque vertitur, natura convertitur. Quot apices, tot sententiae; quot verba, tot oracula. Gratia, auctore Tertulliano, ex Dei nutu; ac dignatione libere dispensatur; hujus unius operatione, atque virtute, bona exeruntur a nobis, humanae voluntatis arbitrium imperio suo subdit; natura ipsa potentior est, eamque, quocumque vertitur, sui pedessequam facit. Haec vero quid, nisi se ipsa victricem, se ipsa efficacem, qualem tradidit Augustinus? Sed, & hujus summam ad quoslibet actus necessitatem, & efficaciam colligit, ex septem Orationis dominicae petitionibus, quarum explanationem singulari Libello de Oratione nuncupato, adornavit, Augustiniana doctrinae principis, ab Launojo distincte fugillatis, per omnia consentientem: Cum dicimus, (inquit) sanctificetur nomen tuum, id petimus, ut sanctificetur in nobis, qui in illo sumus: simul, & in ceteris, quos adhuc gratia Dei expectat, ut, & huic precepto pareamus, orando pro omnibus, etiam pro inimicis nostris. . . . Secundum hanc formam subjungimus: fiat voluntas tua in caelo & in terra: non quod aliquis obstat, quominus voluntas Dei fiat, & ei successum voluntatis suae oremus; sed in omnibus petimus fieri voluntatem ejus. . . . Petimus ergo, ut substantiam, & facultatem voluntatis suae subministrat nobis, ut salvi simus, & in caelis, & in terris; quia summa est voluntas ejus, salus eorum, quae adaptavit. . . . Veniat quoque regnum tuum: Ad id pertinet, quod, & fiat voluntas tua; in nobis scilicet. Nam Deus quando non regnat, in cuius manu car omnium Regum est? Sed quidquid nobis optamus, in illum auguramur, & illi deputamus, quod ab illo expectamus. . . . Potendo panem nostrum quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, & indivisibilitatem a corpore ejus. . . . Docet, petamus dimittere nobis debita nostra. Exomologesis est petitio veniae, quia qui petit veniam, delictum confitetur. . . . Non de remittendis tantum, sed etiam de avertendis in totum delictis supplicemus: ne nos inducas in tentationem: id est, ne nos patiaris induci ab eo utique, qui tentat. Ceterum adfit, ut Dominus tentare videatur; quasi aut ignoret fidem nostram, aut desicere sit consentiens. Diaboli est, & infirmitas, & malitia. Quis haec ex Augustini calamo fluxisse non putet, gravissima, ex hac ipsa Oratione dominica, argumenta identidem exerentis, ut bona quaeque ex Dei mi-

miseriordia manare probet, a quo cuncta petuntur?

Reclamat spuriae Traditionis confarcinator; a Tertulliano quidem scriptum inquit, gratiam natura potentiorum, liberum arbitrium, corruptum licet, ac depravatum, ab bonum insectare; non omnia tamen divinae voluntati, ac potestati tribuenda, quae libero arbitrio committuntur. Fallis, Launoj; at non ita fumus, quibus ex facili ora sublinias. Primum ex Tertulliano abs te laudatum veritatem quidem habet, legiturque loco paulo ante laudato, Libro de Anima capite 10. Alterum a te ingenti temeritate confictum est; nihil enim ejusmodi legere contigit. Demus tamen id esse, nihil inde in Augustinum; qui licet totum Deo tribuendum desinat, non ita tamen, ut sua libero arbitrio jura praeripiat, sed gratiae victricis subiciat: qui unus objecta lacinia eius est, scilicet forte apud Septimum occurrit; alias secum ipse pugnat, qui liberum arbitrium gratiae potestati subijci, tam aperte, tam distincte contendit. At de his plenius capite ultimo.

Alterum dabit Africa victricis gratiae defensor, quo dignus nemo, ante ortam haereseim Pelagianam, virtutem illius extulit, nemo felicius necessitatem commendavit: Cyprianum Martyrem dico, cujus idcirco disertissima testimonia Pelagianis ac Massiliensibus toties opposuit Augustinus. Extant illa in summam collecta, ab sancto Doctore Libro 4. ad Bonifacium capite 9. sparsim vero, & obiter insinuat Libro de Praedestinatione Sanctorum capite 3. Libro de dono perseverantiae capitibus 17., & 19. Libro 2. Retractionum capite 21., & Epistola 215. ad Valentinum Adrumeti Caenobiarum: e quibus illustriora subjicimus, Semipelagianis erroribus ab Launojo recis plane contraria, & Augustiniana dogmatibus, ab eodem temere fugillatis, penitus indivulsa, ut ineptissimi Censoris audaciam detesteris, qua (Pag. 50.) Cyprianum ab Augustino in suis defensionem temere laudatum, ac perperam Semipelagianis objectum criminatur.

Hac igitur Cypriani sententia est, Libro de Oratione dominica: Dicimus, sanctificetur nomen tuum. Non quod optemus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris; sed quod petamus ab eo, ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Ceterum a quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit, sancti estote, quoniam ego sanctus sum; id petimus, & rogamus, ut, qui in Baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse copimus, perseveremus. Hinc consequens esse voluit Augustinus, ut perseverantia singulari Dei donum censetur; quippe quae a regeneratis, & iustis, quotidiana oratione, ex Cypriani sententia, & interpretatione, postulatur. Annon quae legitima est illa, ac tanto Doctore digna consecutio? Quid enim stultius, quam orare, ut facias, quod in tua potestate est? Annon potius gravi censura percellendus Launojus, qui istud catholicae fidei caput, in errorum numerum referre nil verius est? Pergit clarissimus Martyr: Adimus quoque, & dicimus: fiat voluntas tua, sicut in caelo, & in terra: non ut Deus faciat, quod vult, sed, ut nos facere possimus, quod Deus vult. Nam Deo quis obstat, quo minus quod vult, faciat? Sed quia nobis a Diabolo obstat, quo minus per omnia nosse animus, atque actus Deo obsequatur, oramus, & poscimus, ut fiat in nobis voluntas Dei. Quae, ut fiat in nobis, opus est Dei voluntatis, id est, ope ejus, & protectione; quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia, & misericordia tutus est. Quo ex loco divinae gratiae opem, ad omnes pietatis actus necessariam colligebat gratiae Vindex. Ecquis quae aliud inde colligat, cum Dei Serry Tom. V.

ope, misericordia, protectione egere nos, statuat Cyprianus, ob fractas nimirum humanae voluntatis vires, & ingruentes daemonum tentationes? Subjungit Carthagenensis Antistes: Fieri autem petimus voluntatem Dei, in caelo, & in terra, quod utrumque ad consummationem nostrae involuntatis pertinet, & salutis. . . . Potest, & sic intelligi, ut quoniam mandat, & monet Dominus, etiam inimicos diligere, & pro his quoque, qui nos persequuntur, orare, petamus, & pro illis, qui adhuc terra sunt, & necdum caelestes esse ceperunt, ut, & circa illos voluntas Dei fiat, quam Christus hominem conservando, & redintegrando, profecit. Ex qua Cypriani sententia, gratiam omnia hominum merita, conatus, dispositiones, ac natus antevertentem, omnesque rebellis, & oblectantis voluntatis obices superantem, hac praclata ratiocinatione colligit Augustinus lib. 4. ad Bonif. cap. 9. Respondeant certe haereticis novi, quid bonorum meritorum procedat in hominibus inimicis noniam Christiano. Non solum enim non habent bonum, sed habent etiam pessimum meritum. Et tamen etiam sic Cyprianus intelligit, quod in oratione dicimus: fiat voluntas tua in caelo, & in terra; ut, & pro illis, qui propter hoc terra intelliguntur, oremus. Oramus ergo non solum pro nolentibus, verum etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo, nisi ab illo, de quo scriptum est, preparatur voluntas a Domino? Cui haec ratiocinatio non probatur, proferat meliorem.

Luculentius longe multo idem sanctissimus Martyr, haud longe a fine instituta expositionis: Quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis, & imbecillitatis nostrae, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe, atque arroganter aliquid assumat, ne quis confessionis, aut passionis gloriam suam ducat, cum Dominus ipse humilitatem docens dixerit: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: ut, dum procedit humilis, & submissa confessio, & datur totum Deo, quidquid suppliciter cum timore, & honore Dei petitur, ipsius pietate praestetur. Quibus plane concinuat, quae habet Libro 3. Testimoniorum ad Quirinum capite 4. In nullo gloriantur, quando nostrum nihil sit: quod illo pervulgato Apostoli loco confirmat 1. ad Corinthios cap. 4. Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Et Libro de patientia: Est enim nobis cum Deo virtus ista communis. Inde patientia incipit, inde claritas ejus, & dignitas caput sumit. Origo, & magnitudo patientiae Deo auctore procedit. Viden quam constanter totum Deo dandum statuat Cyprianus? (Pag. 48.) Quo tamen verbo, ab Augustino non semel in eundem sensum pronuntiatum, Launojus offenditur. Quare his recentis, tetricum Censorem velut in oculis habens gratiae Vindex, insanam criminationem hisce compescit: Nunquid iste sanctus, tam memorabilis Ecclesiarum in verbo veritatis instructor, liberam arbitrium negat esse in hominibus, quia Deo totum tribuit, quod recte vivimus? Nunquid legem Dei culpatur, quia non ex ipsa justificari hominem significat; quandoquidem quod illa jubet, a Domino Deo precibus imperandum esse declarat? Nunquid sub nomine gratiae fatum asserit, quomodo dicat in nullo gloriantur, quando nostrum nihil sit? Nunquid, sicut isti, Spiritum sanctum adiutorem ita credit esse virtutis, tanquam ipsa virtus, quae ab hoc adiuvatur, oritur ex nobis, quando nostrum nihil esse asserens, propter hoc Apostolum dixisse commemorat, quid enim habes, quod